

confirmatio hominum ad societatis amicæ munia
obeunda, & manifesta arctioris inter homines
quàm bestias consociationis effecta in Civili regi-
mine conspicua, quod per universum terrarum
orbem semper, saltem per patresfamilias, locum
obtinuit. Fatemur tamen id soli corporum fabri-
cæ non tribuendum esse, uti in brutis, sed gubernatrici
menti longè magis, quæ in iis velut in pup-
pi clavum tenet. Hoc autem in loco non tam sin-
gularum aliquot partium edifferenda sunt privi-
legia, quàm aptissima omnium inter se dispositio,
quâ plus possunt ad auxilium aliis ferendam, quæ
tamen in effectis faciliùs sentiri quàm in ipsis ex-
plicari potest. Notandum tamen est, eas omnes
fere ideo aliquanto majora præstare posse, quòd
determinantur influxu amplioris Cerebri, san-
guinis, spirituumque copiosiorum, & Cordis fœ-
licius gubernati per nervos ei proprios. Vifum
est tamen in duabus hominis partibus insigne
quiddam notare, quo ad amicam societatem ho-
mo magis fit idoneus, in vultu scilicet, & manu.
De vultu observavit olim Cicero, eum in nullo a-
lia animante reperiri, quippe in illorum facie tot
cognitionum & affectuum indicia nusquam o-
ftenduntur. Hæc autem communioni inter ho-
mines incipiendæ, servandæque admodum sunt
opportuna, in solitudine nulli sunt usui. Ea sanè
signa quænam sint, percipimus omnes, exprime-
re autem sigillatim vix possumus; facillimè autem
observantur hæc; Rubor faciei in verecundia,
Pallor in metu & irâ: hæc duo indè in homine sunt
conspicua, quod pellucida est illi faciei cuticula,
adeo ut sanguinis qui ei suffunditur copia vel in-
opia,